Bibliothèque numérique

medic@

Emmerez, Guy-Erasme - candidat / Le Moine, Antoine - président. - An visionis primarium instrumentum retina ?

1681.
Paris
Cote : ms 79 n°1331

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x08x1331

Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 16. Januarii.

M. ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præſide.

An viſionis primarium inſtrumentum retina?

SENSUUM inſtrumenta, velut excubiæ in ſummo aut extimo corpore poſita, à rebus externis impelluntur: cujuſlibet peculiaris & mira compages, quæ omnibus numeris abſoluta, machina quibuſdam habetur, à ſimilibus ſpiritibus quælibet regitur, à diverſâ tamen compage diverſa affectio; licet quinque ſint tantum ſenſus, plura tamen ſentiri poſſe, quam quæ per eos ſentiuntur, conjectura eſt legitima. Animal, quantumvis imperfectum, ſaltem aliquo beatur ſenſu. In perfectis non eſt æquabilis omnium ſenſuum neceſſitas: Oculus & auris carere poſſunt ſuo munere abſque detrimento, addi poteſt & olfactus; hi tres minimo ſpatio concluſi minimam nervorum partem occupant, quæ impunè feratur. Tactus ad totius ſtructuram pertinens, ad tempus nullus eſſe poteſt, perniciem tamen affert, quia non vacat niſi labefactatâ nervorum œconomiâ. Guſtus hebes qui alimenta non ſecernit, & in ſtomacho inertem ζύμωσιν arguit, quaſi iiſdem nervis hic & lingua per medium œſophagum inſtrueretur, brevi ruinam minatur.

QUÆ ambiunt corpus animatum, vel conjuncta afficiunt, vel ab iis effluit aut reſilit à quo immutetur: hæc mutatio certis quibuſdam limitibus comprehenſa imago dicitur, quam excipiunt ſpiritus, atque integram inſculpunt in cerebro, plurium motuum occaſionem. Hanc imaginem ſemel in cerebro impreſſam abſque re facilè recudit ſpiritus imaginationis author. Quâ cerebri parte imprimatur, quæſitum eſt ac quæretur. Vero proximum eſt conſiſtere propter nervorum principium, undè facilis ſpirituum deſcenſus. Species intentionales, quas adoleſcens Philoſophia finxerat, ſenilis exploſit. Rei præſentis imaginem varii ſequuntur motus amici vel odioſi. Hos etiam re abſente ſpiritûs ſolius aut cogitatione adjuti efficientia poteſt renovare. Sed in quolibet organo una eſt præcipua pars cui inſcribitur imago, membrana fibris nerveis conſita. Hæc in oculo maximè inſignis teſtatur unum oculum plus aliis ſenſibus laborare.

OCULUS globus multis ex diſſimilibus partibus comparatus, præter ſuos humores excipiendis & tranſmittendis radiis deſtinatos, membranas & nervum, cum rerum videndarum præſentiâ potiri debeat, muſculos varios etiam obtinuit, rectos videlicet & obliquos, quorum ope quoquoverſum facilè movetur: in eum tamen res non agit, niſi per aliud, & niſi juvetur ab alio. Illud medium eſt, quod perſpicuum eſſe debet. Hoc vero lux, à Sole primum, & ab aliis corporibus lucidis, ut vermiculo, piſce, ligno putreſcente diffluit: dum autem in orbem diffunditur, lumen vulgò vocatur, quod per lineas rectas ductum, imbecillius evadit, quo magis à fonte recedit. Hæ lineæ rectæ radios conſtituunt, quorum ſubſtantia liquidiſſima tam neceſſariò per diaphanum fertur, ut in opacum illapſa reflectatur, reſilienſque res & rei colores pingat. Hanc porro ſubſtantiam à rebus variè diſponi declarat arcus in nubibus effectus ex aquâ, & priſma, per utrumque [illegible] colorantur radii.

ILLUSTRATA res cum jacturâ radios remittit: Hi per uveæ foramen ſeu pupillam, quæ veluti patens oſtium eſt, in humores excipiuntur & coguntur, non indiſcriminatim, ſed certo loco. Ut viſio fiat accurata, ab unoquoque rei puncto emiſſi radii, in eodem oculi puncto debent coire, & poſtea diſtrahi & decuſſari dum in oculi fundum projiciuntur, omnes ab uno & eodem prodeuntes puncto, uniti debent unum & idem oculi punctum afficere: à diverſis autem, diverſa: Sicque alterum in oculo conum everſum, externo qui rectus eſt optimè reſpondentem efformare. Id ut fiat, cum ſubeunt oculum, non utiquè rectam viam inſiſtunt, ſed ad perpendiculum franguntur vel recedunt ab eodem, dum à rariori in denſius, aut à denſiori in rarius penetrant: talem vim non patiuntur qui in oculum rectâ feruntur. Ad hanc radiis affectionem pariendam plurimum facit oculi fabrica, & cryſtallini humoris convexitas major & minor, diverſa à fundo diſtantia, & diverſa quoque figura, quòd proceſſuum ciliarium ope fit. Hi pro diverſo radiorum ab objectis emiſſorum illapſu, cryſtallinum, ſi docilis non durior ſit, debito modo componunt, accuratumque retinæ plexum conciliant, ut diſtincta fiat projectio. Ne etiam nimia lux oculum offendat, pupilla quoque ſui conſtrictione vehementioris luminis parum, aut dilatatione debilioris plurimum admittit. Senio confectus oculus propter cryſtallini membranarumque duritiem, figuræ mutandæ ineptus, eam tantum habet quæ remota advertit, quod vitium, convexi vitri ope emendatur. Etſi duplex oculus, duplexque imago, duplex tamen non cernitur objectum: quòd imagines hæ nullam prorſus inter ſe diverſitatem habentes, velut unica, cerebro reddantur; hinc ſi vel leviter diſtorqueatur oculorum alter, cum diverſâ ratione incidant radii, diverſa fit refractio, objectumque in diverſo ſitu, ſicque duplex, etſi unicum ſit, apparet.

RETINA, nerveum textile, ab ipſâ cerebri ſubſtantiâ ortum habens, radios ad perpendiculum ob figuram concavam excipiens, ab eodem objecti puncto prodeuntium unionem terminans, imaginem ſuſcipit. In cryſtallinum & vitreum humorem recipiuntur radii: ſed & per eoſdem, vividiores facti tranſmittantur: & quamvis ibi retinerentur, fieri tamen non poſſet viſio, quin maximè confuſa, & multiplex, vel quantitatis expers appareret objectum: atque etiamſi nullatenus confuſi, ſed omnino diſtincti eſſent radii, nullus moveretur nervus. Propriam retinæ officium ars demonſtrat. Bovis recèns mactati oculus poſtremâ ſui parte orbatus, adeo ut vitreus humor membranâ nitidiſſimâ contineatur, in hac eadem membranâ imagines fingit, ſi modo tenebricoſiſſimi loci foramine lumen ſuſcipiat. Majori figurâ arte formatur oculus: vitrum perſpicuum, corneam, vitrum lentis in morem fabricatum, cryſtallinum humorem conſtituit; retinam repræſentat papyrus albiſſima, hæc ut machina figuras oculi quodammodo imitetur, mobilis ad immobile cryſtalloïdes vitrum accedit aut recedit. Res viſæ huic papyro ſuam imaginem inſcribunt. Imago ut ſit diſtincta, papyrus certo debet eſſe loco, quem ultrà aut citrà informis omnino ſpecies. Atque id non modo rerum, ſed & viſionis ipſius typum exhibet.

Ergo viſionis primarium inſtrumentum retina.

F.E.P.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Puylon, Scholarum Profeſſor.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendiſant.

M. Dominicus de Farcy.
M. Henricus Mahieu.
M. Claudius Guerin.

M. Claudius Guerin.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux.

Proponebat Pariſiis GUYDO-ERASMUS EMMEREZ, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.